CONCLUSIONES QUAEDAM, PERTINENTES AD MODUM ACQUIRENDAE SCIENTIAE, DE QUIBUS PUBLICÈ QUAERETUR 12...

Georg Salmuth

Digitized by Google

ILLVSTRISS. PRINCIPIS AC DOMINI, D. AVGVSTI ELECTORIS MEDICO D. D. Iohanni Gœbelio, Domino ſuo obſeruando.

Οὐδὲν εἰκῆ, inquit Hippocrates: nihil ſcilicet temere ſenex ſuſcipi vult aut geri, non modo in medicationibus, verum in tota etiam vita. Cum igitur ad T. P. mittenda putarem Capita diſputationis iſtius, viſum fuit initio cauſſam conſilij mei breuiter exponere, ne forte hac ignorata temeritatis crimen ſubirem. Ego Vir Clariſs. tam de his Capitibusquam in vniuerſum de ſtudijs meis, rationes cognoſcere cupio, non modo ſummorum & Medicorum & Philoſophorum in Academia noſtra, præceptorum meorum, Verum etiam aliorum ſimili laude excellentium, inter quos facile primas tenet præſtantia tua, & celeberrima cum eruditiſsimo commentario de Thermis, tum vero inprimis admodum honorifico ſapientiſ. Principis Electoris Auguſti iudicio, qui curæ integritatis, prudentiæ, dexteritatis & eruditiõis tuæ, ſuam valetudinem tuto committi poſſe cenſuit. Tuæ igitur cenſuræ Vir Clariſs. ſubijcitur nunc iſtud φιλοσοφημάτιον operæ meæ, & petitur ſtudioſe, vt ſi quando per occupationes licuerit, hoc perlegere ne dedigneris. Quod ſi inſuper paſſa fuerit præſt. T. à ſe hoc quoq; impetrari, vt aditus mihi ad eam pateat, & de hac parte doctrinæ eruditæ, atq; adeo de ſtudijs meis, quæ ſunt Philoſophiæ & Medicinæ ſincerioris, tuam ſententiam audire liceat, tanto me beneficio affectum putabo, vt maius gratiusq; mihi abs tua præſtantia tribui vix poſſe exiſtimem. T. P. bene valeat. Lipſiæ D. XVII. M. Aprilis. Anno 1577.

T. Præſt.

obſeruantiſs.

Georg. Henrici F. Salmuth.

THEMA

I.

CAius Iulius Cæſar, vt refert Plutarchus in Pericle, conſpicatus Romæ externos quoſdam, qui canum Simiarumq́ catulos, quos in delitijs haberent, ſinu geſtabant, interrogauit: Numquid apud illos mulieres parerent? arguens ſcilicet ignauiam eorum, qui ob docilitatem qualemcunq́ ſane & attentionem bruta admirantur. Ad animum verò ὃς μὲν τῷ χαίρειν πρὸς τὸ οἰκεῖον αὐτῷ ἀγαθὸν ἐκκαλεῖ, minime intendunt.

II.

Congruit ea ſententia Cæſaris, cum Platonis Alcib. 1. vbi Socrates maximè celebre iſtud, Noſce te ipſum, explicans: ab homine animum, nō corpus, neq́ quæ corporis ſunt, inſpici oportere exiſtimat (τὰ αὐτοῦ enim illa ſunt οὐχ αὐτὸς) ſiquidem vt argutè ibi ille concludit, & Proclus de An. & dæm: itemq́ Macrob. in Som. latè probant, Homo nō compoſitum quiddam eſt ex corpore & anima, ſed ipſa anima χρωμένη σώματι.

III.

Vnde etiam cum alibi, tum inprimis 1. de part. Animal. vltimo. Ariſtoteles pluribus nos cohortatur ad accuratam animæ quarumcunq́ animantium conſiderationem, quod natura illius, pro ut nobilior ſcilicet & præſtantior eſt, ita cognitu paulò etiam difficilior. At mediocriter percepta, multò tamen maiorem exuſcitat in animis noſtris voluptatem, quam omnium rerum caducarum notitia, non aliter atq́ adamatæ puellæ extremos ſaltem digitos, vidiſſe iucundius, quam alios

hominẽs integros conſpexiſſe: ἡ γὰρ δημιουργήσασα φύσις, ἀμηχάνους ἡδονὰς παρέχει τοῖς δυναμένοις αἰτίας γνωρίζειν.

IIII.

Oculi ſi perinde vt nos oraculo moniti eſſent, ſeipſos intueantur, quid facerent inquit Plato? id nimirum aſpicerent, cuius intuitu ſeipſos viſuri eſſent, & quidem optimum illud, in quo vis tota oculorum ineſt, pupillam ſcilicet: an non igitur in animæ quoq; conſideratione αὐτὴν εἰς ψυχὴν βλεπτέον, καὶ μάλιστα εἰς τοῦτον αὐτῆς τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐγγίγνεται ἡ ψυχῆς ἀρετὴ, σοφία;

V.

Intelligitur autem & hinc quoq; quantum ſitum ſit in huius rei conſideratione, quod Plato in Euthyd. & Phil. 10. Eth. Iſta de qua dixi animæ vi ſeu perfectione, (ſiue ſapientiam eam dicas ſiue ſcientiam, cum vnum hæc eſſe ex Proclo conſtet) definiant τὸ πρῶτον ἡμῶν οἰκεῖον. *At vero de ortu illius, reminiſcendo ne fiat, an vero de nouo exiſtat in anima, tanta inter Platonem & Ariſt. exiſtimatur eſſe controuerſia, vt Atticus quidam cenſuerit leonibus cum viris, lupis cum ouibus melius, quam Ariſtoteli hac in parte cum Magiſtro Platone conuenire.*

VI.

Sed quicquid dicat Atticus, nobis Philoponus placet, qui non vult nos mancipia eſſe libidinis alienæ, ſed rationum potius ex vtraq; parte momenta, examine veritatis expendenda eſſe cenſet, quam authoritati vel huius vel illius adhærendum. Eius igitur ſuaſu nos adducti, quid de hac controuerſia ſine magna aliquo vtriusq; Philoſophi conflictu ſtatuant ſapientiores, pro ingenij noſtri modulo ac tenuitate, deinceps perſequemur.

Notio-

VII.

Notionem igitur animæ intellectiuæ, ſiue intellectus, ſiue mentis (his enim modo vtimur ſine diſcrimine, cum quidem aliàs differre iſta plurimum, non ignorem) tripliciter tum apud Platonem, tùm Ariſt. vſurpatam reperiri conſtat: ante ἕνωσιν *cum corpore,* ἡνωμένην, *& demum* μεταλλαγεῖσαν καὶ χωρισθεῖσαν.

VIII.

Ante corpus quidem extitiſſe Plato autumat animam noſtram, vt ex Timæo (qui locus & Philopono idem hoc probare conanti ſufficit) liquet: DEVS ibi pater & opifex omnium, craterem ſumpſiſſe dicitur eundem, in quo animam mundi permiſcendo temperauerat, & reliquias ex Subſtantia, Eodem & Diuerſo texuiſſe, ſicq; minores gentium Deos eſſe affatum: σπείρας καὶ ὑπαρξάμενος ἐγὼ παραδώσω. Τὸ δὲ λοιπὸν, ὑμεῖς ἀθανάτῳ θνητὸν προσυφαίνοντες, ἀπεργάζεσθε ζῶα καὶ γεννᾶτε.

IX.

Ac ita quidem parem ſtellis numerum animarum, eſſe productum, (cùm Platone nunc loquimur, neq; de Chriſtianis dogmatis quicquam pronuntiamus) ſingulisq; ſingulas affixas ſubdit: non ſane vt multi opinantur, & Plat. propterea repræhendunt, quod reuera ibi alligentur, decepti ſcilicet Pythagoreo illo figmento, qui per ſignum cancri qua ſecatur via lactea, deſcendere animas voluit, vt refert Macrob. At vero ſeipſum Plato explicet, aſſueſcere iſtic animas naturæ ſtellarum, vt delapſæ in terram, pro vita ipſarum vel reuertantur ad aſtrum, vel mutentur in mulieres, vel demum in bruta: Μετεμψύχωσιν *propterea vocarunt.*

X.

Hanc quam ſtolidè nonnulli, de vera animarum hinc inde volutatione, & errore inexplicabili intellexerint ex hoc certo loco & Alcib. 1. quo an qui poſſit eſſe clarior, haud ſcio, luculenter apparet: λέγω, inquit ad Socratem Alcib. ὅτι κινδυνεύσομεν μεταβαλεῖν τὸ σχῆμα, τὸ δὲ μὲν σὸν ἐγὼ, σὺ δὲ τοὐμόν. οὐ γὰρ ἐστὶν ὅπως οὐ παιδαγωγήσω σε ἀπὸ τῆς δὲ τῆς ἡμέρας, σὺ δὲ ἐπ' ἐμοῦ παιδαγωγήσῃ.

X I.

Rectius ſane annotatur ab alijs, in Phædro non dici, animam in beſtiæ corpus commigrare, ſed in ferinam vitam: & in Timæo in ferinam naturam, non feræ corpus: quemadmodum etiam 10. de Rep. Therſitæ animam non in Simiæ corpus, ſed Simiam: vt ita intelligatur habitus, vitæq́; potius, quam ſpeciei uel corporis commutatio. Quid? quod ex Phædone & Epinom. manifeſtum fiat, certis ſupplicijs affligi animas defunctorum, aut etiam præmijs ornari, tantum abeſt, vt perpetuo errore obuagentur.

X I I.

Nec ullius certè momenti eſt calumnia, qua plerią; ſententiam Plat. diſtrahunt, quaſi animam ex Eodem, Diuerſo, & Eſſentia, nec non alijs proportionibus harmonicis, coagmentarit: vt enim taceam alios propè innumeros Philop. 1. de An. & Plutarch. lib. de An. Product. ex Eodem eſſe interpretantur, quatenus immutabilis eſt, & ab omni corpore ſeparabiles habet muneris functiones: ex diuerſo uero, diuerſarum ratione facultatum.

X I I I.

Per harmoniam autem indicari à Plat. autor eſt Macrob.

crob. quia anima corpus permeet & ſolidum impleat (numeri ſiquidem ſoliditatis ſunt, bis bina bis, ter terna ter) vel omnia pariat (impar enim numerus mari, par fœminæ confertur) vel demum ut ex Phædone apparet, procliuis ſit & propendeat ad virtutes & vitia? Sic enim ille dicto loco: eorum ergo, qui animam harmoniam eſſe aſſerunt, quis quidnam dicet eſſe animabus? hæc ſcilicet vitium & virtutem? an aliam quandam conſonantiam atq; diſſonantiam? & concludens paulò infra: ἡ μὲν κακία ἀναρμοστία, ἡ δὲ ἀρετὴ, ἁρμονία ἐστὶ.

X I V.

Nónne ipſemet Ariſt. 3. de An. tex. 10. poſſibilem, intelligentem formam in ſingulari exiſtentem (ſic interpretatur iſta Auer.) lineæ ὅταν ἐκταθῇ *comparauit,* κεκλασμένῃ *uero quando reuerſa fuerit, quærendo* τὸ τί ἦν εἶναι *formæ illius? ac primo de An. tex. 47. cum quidem, non eſſe magnitudinem circularem probaret (verebatur enim ne ſe contingerent, ſi circulum intelligeret, adeo verborum erat interpres durus) tandem ſymbolicè ſubdit:* ὁ νοῦς εἷς καὶ συνεχὴς ὡς νόησις, ἡ δὲ νόησις τὰ νοήματα. Ταῦτα δὲ τῷ ἐφεξῆς ἕν, ὡς ὁ ἀριθμὸς, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ μέγεθος.

X V.

Quam conſideratè igitur Bambaliones vocet eos Scaliger, qui Ariſtotelem verba tantum præceptoris ſui perſtrinxiſſe putant, ipſe viderit: cum Plutarchus quidem 9. Sympos. Philop. 1. de An. Simplicius paſſim clarè teſtentur, hanc non fuiſſe Platonis mentem, & ridiculum quidem putant, res haſce prout apparent accipere, cum ſi quis occultam in illis intelligentiam quærere uelit, nil poſſit eſſe diuinius. In Phædone namq; plures aduerſus harmoniam hanc Socrates adducit rationes,

tiones, quarum duabus in Dialogo quodam ſuo Eudemo vſum eſſe Ariſtotelem Philoponus expreſſè ſcribit. Ac Themiſtio quidem cur inuoluere tricis ſuam ſententiam conſueuerit Plato, de rebus uulgo non communicandis, reſpondebit ipſe Epiſt. 2. ad Dion. & Lyſis ad Hipparc.

XVI.

Ariſtotelem porrò eadem ſenſiſſe, ante ortum nimirum noſtrum, animas προϋπάρχειν, *multa nos docent loca, clariſſime vero qui 2. de generat. animal. 3. habetur, ubi mentem ſolam extrinſecus aduenire, ſolamq́; diuinam eſſe, egregiè teſtatur, & ex eo id concludit, quod nihil cum eius actione communicet actio corporalis: econtra vero,* ὁσῶν μὲν ἀρχῶν ἐστὶν ἡ ἐνέργεια σωματικὴ, δῆλον ὅτι ταύτας ἄνευ σώματος ἀδύνατον ὑπάρχειν, οἷον βαδίζειν ἄνευ ποδῶν.

XVII.

Quæ ſane cum Alex. de intellectu ſuo agente, qui ſecundum ipſum DEVS eſt, intelligat, mirum certè, an DEVS ex ſemine naſcatur, ſi τυφλὸς ἐκ γενετῆς *dubitarit. Neq; ſaniores multum, qui de actu ſecundo, quod ab obiecto extrinſeco dependeat, interpretantur: ita enim vt Philop. arguit, quod eſt deterius, meliori eſſet melius, operatio enim eſſet ſeparabilis, intellectus vero inſeparabilis. Quin eodem plane modo & ſenſitiuam extrinſecus aduenire ſtatuendum foret, cum ab extrinſeco quoq; perficiatur obiecto, cui tamen textus ibi reclamat manifeſtiſs.*

XVIII.

Fugam verò potius meditantur, quam Philoſophicam interpretationem, qui de intellectu quidem ſermonem ibi haberi dicunt, attamen ſecundum φαντασίαν *tantum, quod collata*

hæc ani-

hæc anima cum alijs, parum aut nihil in ipſius ortu materiæ appareat: cum enim duæ ibi habeantur propoſitiones, negatiua & affirmatiua, vt certè illa de vegetante & ſentiente ſecundum veritatem negat, illas extrinſecus aduenire, ſic omnino de intellectu ſecundum veritatem aſſerat illud idem, oportet.

X I X.

Ad quam Ariſtotelis rationem, alia, teſte Auerr. commode refertur 3. de An. tex. 6. διὸ οὐδὲ μεμίχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι: ποῖος γὰρ ἄν τις γίγνοιτο, θέρμος ἢ ψυχρὸς, ἢ κἂν ὄργανον τὶ εἴη ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ, νῦν δὲ οὐδὲν ἐςὶν. *Cum enim antea tex. 4. illum omnia intelligere dixiſſet, ſi mixtus, organicus. Et ſi hoc ab excellenti obiecto læderetur, quemadmodum de ſenſu 2. de An. traditur, huius vero contrarium de illo aſſeritur 3. de An. textu 7.*

X X.

Nihil autem hic facit Scoti, & Alexandri ſectatorum interpretatio, per immixtum corpori, intelligi eſſe inorganicum, interim educi de potentia materiæ, cum Ariſtoteles ex hoc quod ſit inorganicus 2 de generat. An. illud neget: tantum abeſt, vt de poſſibilitate intellectus ibi ſermo fiat, cum illa ſit ſecunda ſpecies qualitatis: Ariſtoteles vero 1. de An. tex. 3. 2. de An. 33. 3. de An. 1. expreſſe fateatur, ſe de anima ſubſtantia & parte ea acturum, quæ intellectiua nominatur.

X X I.

Anima ergo ſeparata cum ſit, æternam quoq; eſſe, rectè concludit Philop. Si enim cum ſit ſeparabilis non eſſet æterna, ſed generabilis & corruptibilis, priuſquam fieret, vel fieri poterat uel non: Si non, ne facta quidem eſſet: ſi poterat, mate-

rialis, illud enim poſſe eſſe, vel non eſſe hoc quippiam, materiæ eſt. Si immaterialis, quæ ſunt à materia ſeparabilia, nō erunt ex eo quod eſt potentia ad id quod eſt actu, ſed ſemper erunt actu. Nec ualeret aliàs ratio Ariſtotelis contra Platonem (1. cæli tex. 103. & alijs ſequentibus) quod eſt æternum à parte poſt, eſt quoque æternum à parte ante: de ſpecie perfecta hoc nonnulli intelligant, at intellectus noſter corpus nequaquam informat, ſed illi aſsiſtit: intelligentiæ vero, ſi his credimus, quod aſsiſtant orbibus, ſpecies non erunt: aut de intellectu noſtro idem concedendum fuerit. quæ ſi attentius conſideraſſet Carpentarius, facilius ſe ex tex. 15. lib. 12. Met. expediſſet.

XXII.

Valeant ergo nugæ & λόγοι ἄργοι eorum, qui ex potentia ſeminis, animam noſtram intellectiuam produci putant, ſub forma perfecta materiam ponentes imperfectam, inepta adducti ratiuncula, mortuo parente nihilominus ſobolem procreari poſthumam: cum Auerr. enim & alijs φανταστικὴν adeſſe & fœtui dare eſſe, confidenter aſſerimus, ſed nobiliorem illam multò, quam in brutis, (vnde etiam 8. Met. tex. 10. formæ cum numeris conferuntur) ſiquidem Ariſtoteles noſtram 3. de An. tex. 20. νοῦν παθητικὸν nuncupat. Nec eſt quod Scotus obijciat, brutum ita gigni, cum clarum 2. de gen. animal. 3. Philoſophi textum habeat. ὅτι μὲν οὖν τὴν θρεπτικὴν ἔχουσι ψυχὴν, φανερόν. προϊόντα δὲ, καὶ τὴν αἰσθητικὴν καθ᾽ ἣν ἄνθρωπος ἐστίν. οὐ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον καὶ ἄνθρωπος, οὐδὲ ζῶον καὶ ἵππος.

XXIII.

Illud, de flamma à lampadis flamma hauſta, leue eſt, competit enim tantum animabus materialibus vt uocant, & quæ abſq; ſubiecto ſuo exiſtunt, vtpote abſq; vitali vegetans, ſentiens abſq; animali ſpiritu. Sic enim & intellectiuam materia-

terialem eſſe, & in ſubiecto, etiam informare, & quod maximum mori, neceſſario omnino ſequeretur.

XXIIII.

Iam, anima cum ante ortum noſtrum extiterit, inertem interea illam ſtatuere (actum præſertim 1. de part. 1.) abſurdum admodum foret 12. Met. tex. 44. Plato ergo in Timæo τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ἔδειξε θεὸς, *inquit,* νόμους τε τοὺς εἱμαρμένους εἶπεν αὐταῖς. *Quæ in Phædro explicans latius, animas alias aliorum Deorum in celo comites eſſe ait, atq; in contemplandis Ideis, ſimilem pro viribus cùm Deo ſuo (quod eſt illud Timæi* καὶ ἐμβιβάσας ἄστροις ὡς εἰς ὄχημα*) diſcurſionem mente peragere, tum ſuper celum circa diuina, tum in celo circa celeſtia, tum ſub çelo çirca naturalia gradatim conſideranda.*

XXV.

Quo autem diſputationis noſtræ curſus fiat lucidior, de differentijs & natura Idearum, nõ videbitur eſſe alienum h.l. interſerere ſummam doctrinæ Platonicæ, & quæ ex Ariſtotele haberi poteſt, cum præſertim ſolida illarum cognitione, cardo propoſitæ diſquiſitionis vertatur. Varium ergo eſſe Idearum apud Platonem deprehendimus: παραδειγματικὸν *ſcilicet in DEO Opt. max. quo OMNIA dicitur, ut Plotinus & Proclus monent, quod intelligendo ſeipſum,* καὶ τῷ βούλεσθαι, *formas nouas, illis ſimiles, non vniuocas tamen ſimpliciter, ſed analogas prompſerit, illasq; vt exiſterent nouo quodam modo contingenti fecerit. De quo Timæus ad inſtar animalis (ſic enim & Ariſt. 12. Met. tex. 39. Deum animal vocat, quod Ramus impugnet recténe an ſecus, ipſe viderit. Ipſa certe ſcriptura membra DEO,* κατ᾽ ἀνθρωποπαθείαν *tribuit) Idealis factum eſſe mundanum animal, ſeu mentem ſublimem, refert.*

XXVI.

In quo ſane, qui & Boni filius dicitur 10. de Rep. τὸ εἶναι ἐιδικὸν habere illas, paſſim docemur, quod ut Platonici tradunt: MENS illa ſublimis, primum uelut informe chaos ex Deo nata, ad ſui deinde principium ingenito quodam appetitu conuertatur, conuerſa in DEVM, radio eiuſdem penitius illuſtretur, cuius fulgore creandarum rerum ratione pleniſſimo, ille ſuus amor accenſus DEO totus inhæreat, inhærens denique ad formam perfecti animalis exurgat. Vnde etiam mundus dicitur à pulchritudine, & hinc dicitur erigere caput in Phædro.

XXVII.

Non quidem, quod Deo exemplari exteriori opus eſſet, ad quod reſpiceret, ſed intellectui noſtro. Cum enim hic formas vel ſeparatas vel ſeparando intelligat: ipſum vero ſummum bonum longè ſuperius intellectu noſtro, ab intellectu (infinitum quippe à finito) capi non poſſit, illas communes rationes intellectus obiecta & perfectiones in præſtantiore vniuerſi gradu, finito tamen (ſiquidem à perfectione primi cadit) collocentur fuit neceſſum, vt ab intellectu ita noſtro aſpici poſſent. Hinc porrigere ad inferiora fœmur dicitur in Phædro.

XXVIII.

Atque hoc ultimum eſt ipſarum eſſe, μεθεκτικὸν ἢ μεταλήπτικον, quo ſane & intelligentiæ inferiores, anima noſtra, natura & materia ipſa prima, aliquid communicant de Ideis in mente exiſtentibus, de quo Plato in Parmenide: exiſtere quaſdam ſpecies, ὧν μεταλαμβάνοντα ἄλλα, τὰς ἐπωνυμίας αὐτῶν ἴσχουσι. ὁμοιότητος μὲν μεταλαβόντα ὅμοια, μεγέθους μεγάλα. Ita quidem, vt notiones à mente vibratæ v.g. in intelli-

telligentias, ſuum ſimiliter principium repetentes, reflexione illa in mentem fortius imprimantur, ac qualis ſit habitudo mentis primæ ad Deum, & ad mentem noſtri intellectus, talis deinceps rerum quarumcunq; inferiorum, ad ſuperioris ordinis vitam exiſtat.

XXIX.

Participant vero ſecundum magis & minus, vt Marſillus exemplo radij ſolaris, ſecundum magis & minus in igne, aere & terra recepti, declarat. Quæ eſt illa materiæ dualitas, vt ſimplicius 1. Phys. ex Dercyl. ſententia atteſtatur, & Egidius in hæc verba illam interpretatur: Plato, ait, poſuit Ideas eſſe ſuperintelligentias, & vna & eadem Idea imprimebat ſimilitudinem ſuam in intelligentias, in animam, & in materiam corporalem, ſed intellig. recipiunt illam influentiam magis vniuerſaliter, anima vero minus, materia vero omnino particulariter. Ideo dicit magnum & paruum ex parte materiæ, id eſt principij receptiui.

XXX.

Ariſtoteles autem ipſe quoq;, licet de muneris functione intellectus ante copulationem cum corpore, aperte nil tractarit, (niſi uelimus qui circumferuntur ſecretioris Philoſophiæ titulo libros, pro γνησίους eius recipere) hos tantum gradus exiſtentiæ Idearum agnouiſſe deprehenditur. Primum quidem innuit 12. Met. tex. 51. vbi eam tantum Dei eſſe operationem aſſerit, ſeſe intelligere per ſe in toto ſeculo, neq; quicquam extra ſe (ſic Auerrh. in Com.) Vnde non minus ſcitè quam vere eruditiſs. Gallus Bodinus, percontantib. quid Deus ante creationem mundi egerit, reſpondet, ſe ipſo illum contentum eſſe, ac ſui vnius contemplatione felicem, cum nihil ſeipſo maius

 ac me-

ac melius contemplari poſſit. Si namq; hominis felicitatem in ſola contemplatione conſiſtere docemur, unde Plato ἐυτοδαίμονα, Ariſtoles αὐταρκὴ vocant ſapientem, quid de Deo ſentiendum, qui αὐταρκέστατος ſecundum Philoſophum, & ut alij αὐταυτὸς?

XXXI.

Alterum vero Auerr. clariſs. expreſſiſſe videtur 3. de An. Com. 5. in omni ſcilicet intelligentia, reperiri aliquid ſimile materiæ, aliquid ſimile formæ, nullamq; liberam eſſe à potentia niſi primam: quam ſane compoſitionem, licet alij pro ea quæ ex poſitiuo & poſitiuo, alij quæ ex poſitiuo & priuatiuo explicent, in ſuo quidem ſenſu veriſs. magis huc tamen facit, quæ ex perfectibili & perficiente (liceat enim mihi interdum cum ſcholis loqui) illam conſtituit, perfectibili quidem nil aliud denotante, quam intelligentiam ipſam, perficiente vero ipſum obiectum intelligibile .i. Deum Opt. Max. ſignificante.

XXXII.

Cumq; expreſſe ab Ariſtotele 12. Met. tex. 44. & 51. & ab Auerr. in Com. nec non Theophr. in ſua Metaph. gradus intelligentiarum conſtituantur, magis perfici primi orbis motorem (non enim is Deus eſt, ſiquidem finitus propter orbem, itemq; in potentia ad craſtinam operationem) exiſtimandum, & ſecundum illum inferiores omnes eundem in modum ſecundum magis & minus: quo pertinet quod ſubdit dicto loco Auerr. nulla intelligentia libera eſt à potentia niſi prima forma, in qua eſſentia eſt quidditas eius, aliæ vero diuerſantur in eſſentia & quidditate, quoquomodo. Neq; intelligentiæ tantum participarunt, ſed & natura, 1. cæli 100. à primo principio pendent omnia, hæc quidem clarius, hæc vero

obſcurius.

obſcurius. Et 2. de An. tex. 34. Omnia enim illud appetunt, diuinum ſcilicet, & propter illud agunt quæcunq; ſecundum naturam agunt, ita vt animal generet animal, planta plantam &c.

XXXIII.

Quin & materia quoq; prima. Auerrh. 1. Phyſ. 81. quia priuatio accidit materiæ de neceſſitate, & eſt hæc perfectio diuina maxime, cui omnia entia appetunt aſſimilari primo principio, dicimus nos, quod materiæ, ſecundum quod accidit ei priuatio eſt innata appetere ſe aſſimilari primo principio. Clariſſ. vero eſt locus de mundo ad Alex. cap. 6. Παντων ὢν ἡγεμὼν τε καὶ γενέτωρ, μεμερισμένος κατὰ τὰς φύσεις πάσας, διὰ τῶν οἰκείων σπερμάτων εἰς τε τὰ φυτὰ καὶ ζῶα, κατὰ γένη τε καὶ εἴδη. *Quo illud Plotini ſpectat: Omnes naturali quodam inſtinctu clamant, in vno quoq; noſtrum eſſe Deum, adeo vt vnus in omnibus idemq́; ſit Deus.*

XXXIIII.

Quoniam vero Ariſt. pleriſq; locis contra vniuerſalia extra intellectum diſputauit, num ex opibus tamen illius, iſta quodammodo obtinere poſſimus, vt videamus, reſtat. Res ergo in particulares & vniuerſales diuidens, λέγω καθόλȣ, *inquit,* ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. *Si ergo* πέφυκε, *vt acutiſſimè ratiocinatur Scaliger, habent hoc* ἀπὸ τῆς φύσεως. *non autem ab intellectu. Quemadmodum & alibi,* ταῦτα δὲ *ſcilicet* καθόλȣ, ἐν ἀυτῇ πῶς ἐσὶ τῇ ψυχῇ: *Si enim* πῶς *non* ἁπλῶς *ſeu* ὅλως *videntur in anima eſſe, tantum propter prædicationem, res ſiquidem non ſunt in anima, ſed rerum ſpecies.*

XXXV.

Quo accedit etiam authoritas Auerrh. 1. Met. 28. vniuerſale

uerſale inquit, intellectum, eſt ſecundum cauſſam & ſecundum tempus prius eo, quod eſt ſub ipſo: at animal in intellectu, non eſt cauſſa hominis in intellectu, neq; prius homine ſecundum tempus, ſubiectum enim prius eſt tempore. Nec alicuius momenti eſt quod Zimara annotat, loqui Auerrh. ibi ex ſententia Platonis, ſiquidem ibi diſputat contra materiæ dualitatem Platonicam.

XXXVI.

Rationes quoq; habere poterimus. 3. enim Met. 12. dubitat Philos. Si non ſunt vniuerſalia, non erunt ſcientiæ, ſed figmenta, quando in ſingularibus cognouero id, quod nuſquam & nihil eſt: Si enim habetur ſcientia de Socrate & Platone, non quatenus hoc, hic, nunc ſunt (ita iſta deducit Scaliger) ſed quatenus vnum quiddam, erit illud vnum neceſſario cognitum in re, non extrinſecus allatum ab intellectu, qui nil niſi prædicabilitatem affert, vt quia res ſit in re, ſpecies de ſpecie dicatur, vnde Auerr. in Com. exclamat: Vniuerſale eſſe dubium non eſt, ſed quæ ſit natura eius dubium eſt. Quo pertinet quod Alcinous cap. 25. refert, Si à ſingulis vniuerſalia intelleximus, quonam pacto ex paucis indiuiduis communia ipſa percepimus: deciperemur certe ac mentirentur æque, ac ſi iudicaremus, omne quod reſpiratione utitur ſolum animal eſſe, quæ ijsdem prope verbis Simpl. 7. Phys. tex. Com. 20. adducit.

XXXVII.

Species præterea ſolas definiri certum eſt, at definitio ſolius eſſe ſubſtantiæ dicitur 7. Met. paſſim; rurſus definitio nota eſt extra animam, ergo & ſpecies extra animam. Quo accedit eiusdem libri tex. 48. ſi daretur Idea, eſſet homo tertius. Primus ergo homo ſecundum Ariſt. eſt indiuiduum, ſecundus ſpe-

dus ſpe-

dus ſpecies, tertius Ideæ. Sunt ergo apud ipſum quoq; ſubſtantiæ ſecundæ. At intellectus nullam facit ſubſtantiam, neque Phantaſmati imprimit quicquam (non enim facit ſuum obiectum, quod ſic intelligere non eſſet pati) tantum quidditatem & formam in Phantaſmate, conditionibus materialibus inuolutam intelligit, non intelligendo ſcilicet indiuiduantes & materiales conditiones.

XXXVIII.

Oſtenditur demum à natura, eſſe quædam vniuerſalia extra opus intellectus. Illi enim qui negant à ſuperiori intelligentia cognoſci inferiorem, (verentur enim ne fiat ſeipſa minor) tamen ab intelligentijs cognoſci vniuerſalia contendunt. Intellectus igitur agens & poſſibilis dandus illis eſt, ſiquidem præter opus intellectus, vniuerſale nil eſſe aiunt. Sin per abſtractionem minimè cognoſcunt (perficerentur enim à ſpeciebus à materia exeuntibus) ſpecies ſint illis concreatæ, omnino ſequitur, vt probè etiam concludit Thomas. Neq; illis ſolum, ſed & nobis infert Philop. quomodo namq; alias, quando duo de anima verbi g. differunt, hunc vera dicere, illum falſa putamus: aut vt Themiſt. 3. de An. cap. 32. quomodo alteri voluntatem meam ſignificabo, niſi ſint nobis quædam communia?

XXXIX.

Et vt miſſam faciamus Sympathiam & Antipathiam rerum & animalium, quam huc reducit Gemma, videmus alias animantes, à ſe ipſis proprias actiones ediſcere: ſolus ergo homo aliunde ſcientiæ & actionum principia hauriet? quin experimur quoq; nil niſi ex ſemine oriri, ſed quodcunq; procreatur, ſimilitudinem ſuam ſeminis deferre: animus verò noſter ſterilis plane erit? quomodo autem ſic arguit Tyrius

 Serm.

Serm. 28. addiſcet quiſpiam. Si enim à præceptore, vnde ille, & ille, & ille? & ita in infinitum. Si inuenerit, quomodo inuentis & non intellectis uti poterit, aut nude deprompſit?

X L.

Alia quæ hic afferri poſſent (qualia multa collegit Carpentarius digreſſ. ſecunda in Alcinoum) breuitatis ſtudio omittimus: commemorationi quoq; obiectionum in contrarium abſtinemus, quod id modo contendant, vt ne vna ſingularis natura extra indiuidua, ſit principium indiuiduorum. Sic enim expreſſe Ariſt. 13. Met. cap. 4. Sed Socrates quidem ea, quæ vniuerſe dicuntur, non ſeiungebat à rebus ſingulis, nec definitiones, illi autem ſeiunxerunt, easq; res Ideas, id eſt ſpecies nuncupauerunt.

X LI.

His ergo inſtructa formis, vt in gyrum demum redeat oratio noſtra, anima, corpori ſeſe applicat, vt Porphyr. loquitur, vel ut Plotinus inſinuat, vel ut Ariſt. ἔοικεν εἰσιέναι, *cuius cauſſam in Phædro aſſignat Plato impotentiam aſſequendi, (propter diuerſum ex quo antea componebatur) quam ſi non inſpexerit anima & caſu aliquo uſa, repletaq; obliuione grauetur, grauata autem pennas fregerit, in terram illam cadere: h. e. Si intellectus & voluntas vtpote alæ, remiſſo intelligendi actu, amore corporis tangantur, (quæ eſt Electio Plotini ex 10. de rep. Vos dæmonem elegiſtis) iam obliuiſcitur, poſtpoſitaq; pulchritudine diuina, hunc ſenſibilem mundum appetit. Idq; optima ratione fieri putat Plot. Prægnans enim eſt effecta in Tim. deſcendat ergo ad partum, neceſſe fuit: fruſtra enim eſt potentia, vt Peripatetici cenſent, quæ non ducatur in actum.*

Quo

X L I I.

Quo Adraſtiæ deæ accedit regula, vt ex Phædro Alcinous cap. 29. monet: Fatum, ait, nequaquam dicit hic illa faciet, ille verò hæc: Sed, quod ſi quis animus vitam eiuſmodi delegerit, atq; talia fecerit, hæc illum conſequentur, &c. id quod Plot. proprio libro. Marſil. lib. 16. & 17. ſuæ Theol. latè explicant. Quidq; commodi inde percipiat anima, & quomodo eo deſcenſu colatur DEVS, præter illos Procl. de An. & Dam. Porph. de An. abſti. Mercur. in Aſcl. & Pimand. multis produnt. Cur autem aliarum intelligentiarum alæ non frangantur, tacitè reddit cauſſam Timæus, DEVM ſcilicet ὑπόλοιπα *miſcuiſſe* ἀκήρατα οὐκέτι κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως, ἀλλὰ δεύτερα καὶ τρίτα. *Ita ut in illis ſtatus ſuperet motum, & idem Alterum.*

X L I I I.

Ariſtoteles quoq;, quanquam expreſſe cauſſam deſcenſus non declararit, 6. tamen caput libri de mundo ad Alex. neceſſitati prorſus ſimilem prodit: dato enim ſigno, naturam quæ inter cœlum & terram defertur, vniuerſam, tum in orbibus, tum in finibus motu cieri perpetuo, nunc ſeſe occultando, nunc ſeſe aperiendo, infinitis rerum generibus detectis & iterum obtectis, ibi traditur. & Auerrh. 12. Met. com. 44. de intellig. Ponunt actiones ſuas ſeruientes & conſequentes actiones primi principis. & paulò ante: diſpoſitio eorum creando entia, quæ hic ſunt & conſeruando ea, eſt ſicuti diſpoſitio regentium bonorum, qui iuuant ſeſe ad inuicem in regendo bonam ciuitatem.

X L I I I I.

Vt non abs re idem Auerrh. in Epit. Met. tract. 4. intellectum noſtrum comparauerit cum intelligētijs, quod quem-

admodum hæ orbibus præbent formam ſeu ultimam perfectionem, ita ille nobis. Vt & ipſe ſcilicet cæleſtium numero aſcriptus (vt pulchrè Marſilius exponit) ſe diuinæ voluntati ſubiectum cognoſceret, & particulari quadam præfectura, mundo huic vtilitatis quid afferret & perfectionis. Quo pertinet diſput. 3. contra Algaz. vbi mundus ciuitati, Deus principi illius confertur.

XLV.

Iſtis ergo ut diximus, repleta formis, anima, corpus ingreditur, non quidem informans illud. Vt Latinorum pleriq; & Alex: putant, eſſet .n. mortalis & materialis ut Gramm. infert, nec non de potentia materiæ educta 2. de gen. An. Sed aſſiſtens ſaltem, quemadmodum nauta naui vt Philoſ. loquitur, mediante nimirum anima ſentiente nec obſtat quicquam λόγ@ κοινότητ@, *cum poſt addubitet demum Philoſophus, neq; etiam quod forma dicatur, ſiquidem ad naturalem, cuius forma 2. Phyſ. definitur, non pertinet de hac anima agere 1. de part. 1. neq; etiam inſtar machinæ propterea mouebitur, vt putat Scaliger, ſiquidem obiectiuè à corpore pendere, & ratione operationis omnino coniunctum aſſerimus 3. de An. tex. 20.*

XLVI.

Ridiculum ſane ut Ariſtoteles infert, Si anima intellectiua ſit ἐντελέχεια *corporis, quærere* ἢ ἕν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ καὶ τὸ κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα: *docet tamen Auerrh. 2. celi 3. ex indiuiſibili utpote intellectu, & diuiſibili corpore nimirum, magis fieri vnum quam ex materia & forma materiali: hæc ſiquidem materia mediante quantitate vnitur, hinc magis diuiſionis particeps & minus vnum. Illud vero abſque*

ulla

ulla quantitate hinc minus diuiſibile & magis vnum. Quemadmodum ex abſtracto & abſtracto, tanquam indiuiſibili & indiuiſibili, magis adhuc vnum fieri docemur.

X L V I I.

Sunt hic nonnulli, qui locum, vnde, per quod, quando, vbi coniungatur cum corpore anima, noſſe deſiderant, atq; in eo ignauiam ſuam valde produnt, Sunt. n. ij in quorum ſcholis præter corpus nil mouetur, quibus licet nullo negotio exactè ex Marſ. Theolog. reſpondere quis poſſet, libet tamen illos iuuare nonnihil. Intelligentiarum ergo vltima anima noſtra, cum à perfectione primi per gradus certos cadat, finita ſit oportet, & quantitate quidem prædita, non prædicamentali ſed intelligibili, vt intelligatur pars vna quæ non ſit altera. Sic .n. 3. Phys. docemur, Infinitum ſolum ſine partibus cogitari poſſe. Hinc ergo in ſuo erit V B I, etſi non in Loco, quod ſit ſine corpore, quod neq; dilatatur neq; denſatur ad illius ingreſſionem: ſicuti radiorum Solis aduentu, non differtur aër vt eis cedat, neq; denſatur in circumfucis partibus. de hac re Scalig. exerit 359.

X L V I I I.

Atq; ita ſane immerſa materiæ anima, obliuione obducitur earum rerum, quæ in patria uiderat, ait Socrates in Phædro. Non aliter atq; ſi quis à ſplendidiſſima luce ad tenebras auerterit oculos, aſpectus acies imminuitur, & hebetatur cum ad lucem reuertitur denuo. Neq; mirum id ut monet Plot. tam cito nimirum nos rerum omnium obliuiſci: reputemus enim vt non ſolum quam multum in ſenectute infantia, ſed etiam quam facile hodie, heſternarum rerum non amplius recordemur.

Belle hinc mundum in initio 7. de Rep. καταγείῳ σπηλαιώδει *comparauit Plato, intellectum vero* παισὶν οὖσι ἐν δεσμοῖς καὶ τὰ σκέλη καὶ τοὺς αὐχένας, *ut & immobiles permanere cogantur, & ad anteriora ſolum proſpicere, rerumq́; vmbras intueri &c. Proclus vero lib. de An. & Dæm. Circes diuerſorio: Quid miraris, ait, multos quidem ſecundum vitam eſſe lupos, multos porcos, plurimos autem alia quadam bruti ſpecie circumfuſos? cùm terrenus locus Circes ipſius ſit diuerſorium, animaq́; multa ob immoderatam concupiſcentiam, venenoſis ineſcata ſint poculis.*

L.

Et Macrobius in ſom. Priſcos inferorum mentione, ipſa corpora intellexiſſe ait, in quæ ſcilicet anima, veluti in lacum quendam demergatur (vnde δέμας *&* σῆμα, *itemq́; mors animæ paſſim) per lethea autem deſignaſſe obliuionem eorum, quæ in patria uiderat. Per Phlegetonthem ardores irarum & cupiditatum. Acherontem quicquid dixiſſe feciſſeúe nos pæniteat. Cocytum quicquid homines in lachrymas, luctumq́; compellit. Stygem quicquid inter ſe humanos animos in gurgite mergit odiorum. Per vulturem iecur immortale tundentem, tormenta conſcientiæ. per epulas ante ora poſitas, deſiderium plura acquirendi. Illos radijs rotarum pendere diſtrictos, qui omnes actus ſuos fortunæ committunt. Saxum voluere ingens laborioſis conatibus vitam terentes, & demum atram ſilicem lapſuram ſemper ipſorum capitibus imminere, qui arduas poteſtates & infauſtam ambiunt tyrannidem &c.*

LI.

Ariſtoteles vero 7. Phys. tex. 20. ἔτι δὲ ὥσπερ ὅταν, ἐκ τοῦ μεθύειν, ἢ καθεύδειν ἢ νοσεῖν, εἰς τὰ ἐναντία μεταστῇ τίς, οὔ

φάμεν

φάμεν ἐπιστήμονα γεγονέναι πάλιν, καὶ τοι ἀδυνατον ἦ τῇ ἐπιστήμῃ χρῆσθαι πρότερον, ὅταν οὐδ᾽ ὅταν ἐξ ἀρχῆς λαμβάνῃ τὴν ἕξιν. *Ex quo loco fortaſsis Tyrius quæ de ſomno Epimenidis & Ariſteæ Proconenſis tradit, deſumpſit.*

L I I.

Et 3. de An. hinc inde intellectum noſtrum facit poſsibilem (neq; enim duas partes intellectus agnoſcimus, agentem & poſsibilem, ſed gradus ſaltem ſeu modos ſeu διαφορὰς*)* ὁ ἄρα καλούμενος νοῦς οὐδέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν *tex. 5. & tex. 6. laudans qui locum ſpecierum dixerint,* οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη: *quæ ſæpius repetit. indicans proculdubio qua de cauſſa 7. Phys. ebrio & dormienti addiſcentem contulerit. Sic enim interpretum plerique dictum putant, reſpectu huius uel illius indiuidui.*

L I I I.

Anima igitur etſi licet adeo incluſa ſit, vt rerum tantum vmbras intueatur, 7. de Rep. VSA tamen SENSIBVS vt eſt in Phædone, illas quas habuit antea ſcientias, recipere incipit. εἰ δὲ γε οἶμαι, *inquit,* λαβόντες πρὶν γενέσθαι, γιγνόμενοι ἀπωλέσαμεν, ὕστερον δὲ ταῖς αἰσθήσεσι χρώμενοι περὶ αὐτὰ, ἐκείνας ἀναλαμβάνομεν τὰς ἐπιστήμας, ἅς πότε καὶ πρὶν εἴχομεν *&c. quo max. illud pertinet in Philebo,* ἐκ μνήμης τε καὶ αἰσθήσεως δόξα ἡμῖν καὶ διαδοξάζειν.

L I I I I.

Et in Timæo: quas ob res ab initio anima, cum mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur. at poſtquam nutritionis & augmenti riuus lenius minusq; fluit, animaq; circuitus tranquilliore motu iter ſuum peragunt, proceſſuq; temporis ſedatiores fiunt, & in figuram naturæ ſuæ congruam reſtituuntur. tunc ſingulorum circulorum directæ conuerſiones,

Eiusdem

Eiusdem & Alterius naturam probè diſcernunt, hominemq́; ita inſtitutum prudentem efficiunt &c. quos locos afferre libuit, vt pateret quam indigne calumnientur nonnulli Platonem, ac ſi ad ſcientiam recuperandam ſolum requiſierit ſtatum, cum expreſſè ibi ſenſuum mentionem faciat.

L V.

Pulcherrimè hæc loca interpretatur Linconienſis 1. poſt. (vt mittamus quæ de ſcriptore ex Philebo adducit Proclus, & Tyrius de Medico) præceptoris munus, ac in ſuos docendo diſcipulos labor eſt, ait, ad inſtar cotis, nam ſicuti in acuendo gladium partes illas craſſiores remouet, acutiem vero minimè tribuit. Sic animus humanus, præceptoris induſtria quadam diſciplinarum impedimenta deponit, vt liberè philoſophari poſſit.

L V I.

In eandem ſententiam Ariſtoteles 7. Phys. tex. 20. τῷ ἠρεμίζεσθαι καὶ καθίσασθαι τὴν ψυχὴν, ἐπιστήμων γίνεται καὶ φρόνιμος: *& ſubdit: quo circa infantes nec diſcere poſſunt, nec ſenſibus perinde iudicare atq; ſeniores, cum multa in eis ſit perturbatio & motus (quæ deſcripſit ex addicto iam Timæi loco) & ulterius,* καθίσταται δὲ καὶ ἠρεμίζει. πρὸς ἔνια δ' ὑπ' ἄλλων. *Quem locum interpretans Simpl. per naturam intelligit ſenſuum ſedationem, per* ἄλλα *vero diſciplinam. Paulò quoque ante:* κατ' οὐδεμίαν γὰρ δύναμιν κινηθείσιν ἐγγίνεται τὸ τῆς ἐπιστήμης, ἀλλ' ὑπάρξαντος τινὸς: *Cum enim ſit ad aliquid, vt Auerrh. in Com. ſubdit, illa vero ſic ſe habeant, vt vno mutato alterum præter ſui mutationem affirmetur, mentem mutari nequicquam ſequitur, Vbi bene notanda Simplicij interpretatio ſupra verba ſequentia,* περὶ τῆς κατὰ μέρους ἐμπειρίας.

Hinc

L V I I.

Hinc etiam 3. de An. tex. 17. intellectus alium gradum aſſignat, agentem ſcilicet ὁ δὲ νοῦς τῷ πάντα ποιεῖν: quod nimirum inſtar luminis, vt ſubdit ibi, phantaſmata illuſtret: quo fit vt vniuerſale in RE, (hanc enim Gramm. 2. poſt. ult. diſtinctionem vniuerſalium, & ipſe probat) operatione agentis tum quaſi eductum, excitet quod eſt in intellectu poſſibili, vt fiat ita intellectus in habitu ſeu ſpeculatiuus Auerrhois.

L V I I I.

Et euidenter admodum Philop. in Prol. lib. de An. Dico, ait, quod anima ratione prædita, habet rerum rationes ſuæ ſubſtantiæ impreſſas, & vt rem melius exprimam, conſubſtantiatas: quoniam autem ſubierunt materiam, oppreſſæ veluti & obrutæ ſunt, vt quæ in cinere obruta celatur ſcintilla, quemadmodum igitur quando quis cinerem parum effoderit, ſcintilla ſtatim emicat, & non qui effodijt ſcintillam effecit, ſed ſolum quæ erant impedimento amouit: Sic & opinio à ſenſu excitata, eorum quæ ſunt rationes, proponit. Sic & præceptores, non cognitionem quidem nobis inſerunt, ſed eam, quæ in nobis quidem eſt, ſed abſconſa ueluti deliteſcit, demonſtrant &c. quæ alijs verbis Simplicius in Epict. cap. ſtatim 1. quoq; refert.

L I X.

Recte igitur Ariſtoteles 7. Phys. tex. 20. aſſerit ſcientiam noſtram non eſſe quandam alterationem, & ſecundo de anima tex. 58. de Architecto, ſi eſt quædam, duo fore alterationis genera, atq. hinc ſtatui poteſt, quales ſint illæ doctrinæ Pla-

eo motu intellexerit, vt ex 10. de legib. expreſſè patet. ἄγε μὲν δὴ, ψυχὴ πάντα ταῖς αὑτῆς κινήσεσιν, αἷς ὀνόματά ἐστι, βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν ὀρθῶς, ἐψευσμένως, χαίρουσαν, λυπουμένην, θαῤῥοῦσαν, φοβουμένην, μισοῦσαν, στέργουσαν &c. quos motus omnes Ariſtoteles in anima ponit 2. Eth. 5. λέγω δὲ πάθη μὲν ἐπιθυμίαν, ὀργὴν, θύμον, φόβον, θράσος, φθόνον &c.

L X.

His igitur ad hunc modum explicatis, concludamus nunc, tam ſecundum Ariſtotelis quam Platonis mentem, Scire noſtrum nil aliud eſſe quam Reminiſci, ſi actum ſpectemus primum. Eſſe vero diſciplinam & de nouo fieri, ſi actum ſecundum (quemadmodum illa Proclus de An. & dæm. ſententia 34. explicat) per ſe enim non poſſet in actum prodire ſecundum intellectus, immerſus ſcilicet in lacum illum letheum, niſi vtatur ſenſibus, vel ut Ariſtoteles, illuſtretur lumine intellectus agentis.

L X I.

Hinc Plato 5. de legibus recordationem ſapientiæ influxum, & in Menone ſcientiæ repetitionem in ſeipſo definit. At prudenter ſane σοφίας καὶ ἐπιστήμης vtitur vocibus, vt recordationem facultatem eſſe intellect. animæ innuat, non tantum ſenſitiuæ, id quod aliqui colligunt ex lib. de Mem. & Rem. Si enim abſq; mentione temporis & memoriam & Reminiſc. conſiderauerimus, quid prohibeat, quo minus ſint in intellectu, plane non perſpicimus: ſane non negauerim impropriè hanc Reminiſcentiam dici, modo hoc relinquatur, praexſtiere in mente λόγους οὐσιώδεις vt Simplicius vocat 3. de An. tex. com. 14. vel ut 7. Phys. tex. com. 2. ait. habeat τὸ καθόλου ἀεὶ κατ' ἐνέργειαν, εἴτε πρόχειρον εἴτε μή.

Diffi-

L X I I.

Difficultates quædam reſtant, & illæ quidem max. ut nonnullis videtur: potentia enim non actu eſſe dicitur intelligibilia tex. 4. & 15. Neq; poſſibilis modo ſed & adeptus, οὐχ ὁμοίως δὲ καὶ πρὶν νοεῖν ἢ εὑρεῖν *tex. 7. vt hic quidem locus de potentia propinqua (ſic enim 2. de An. tex. 59. diſtinguuntur) illi de remota intelligantur: qui tamen certe nihil omnino minus quam vacuum poſſibilem probant. Actum quippe reſpicientes ſecundum, poſſibilis ut poſſibilis, eſt in potentia remota, quia de ſe non poteſt promere* τὰ καθόλου συγγενῆ, *habet tamen apritudinem inquit Philop. propter* οὐσιώδεις *ſcilicet iſtos* λόγους: *qui ſi fuerint excitati per lumen intellectus agentis, intellectus fit in Habitu, qui etiam eſt potentia,* οὐχ ὁμοίως *tamen, quod ſcilicet per ſe operari poſſit, quando uult. Simplicius hæc docet 7. phyſ. com. 21.*

L X I I I.

Illud vero maioris momenti: recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti: Scaliger tamen pro nobis faciet exercit. 307. Docet enim illud verum eſſe de eodem numero, non vero ſpecie. At vero illis ipſis qui hæc vrgent τὸ νοούμενον καὶ ὁ νοῦς *ita fiunt vnum, vt etiam Cardanus intellectum ſuum equum fieri, quin librum & alia, aſſerere non fuerit veritus. Quid ergo? ſi adeo vniatur ſpecies equi & intellus, & rurſus illius fiat mentio, an recipis nec ne? Si ſic, antea ſcilicet nihil fuit concluſum neq; propterea* παρεμφαινόμενον κωλύει τὸ ἀλλότριον καὶ ἀντιφράττει. *Sin minus? Ergo quæ dicuntur non*

ἄτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον, ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ, *quod cum ex Platone tranſcripſerit Ariſtoteles, quam vana ſit illorum obiectio apparet, Sic enim ille in Philebo.* δοκεῖ μοι τότε ἡμῶν ἡ ψυχὴ βιβλίῳ τινὶ προσεοικέναι, *& paulò poſt ſubiungit ſcriptorem eſſe intus, & partim falſa, partim vera inſcribere.*

L X V.

Vtrumq; tamen à contradictione ſaluabimus, ſi intueamur ea quæ Philop. 3. de An. ſuper illum tex. ex ſentent. Iamlichi affert, Vide, inquit, quod γραμματείῳ *dixit, & non chartæ,* γραμματεῖον *autem non diceret, niſi* γράμματα *haberet: hoc autem dixit volens animam puerorum, quod eſt potentia intellectus, habere rerum rationes, quare ſi eam* γραμματείῳ *aſſimilauit, habet rerum videlicet rationes, quemadmodum* γραμματεῖον *habet* γράμματα *&c. qui ſunt illi termini, de quibus Ariſtoteles 1. Poſt. cap. 6. Principia cognoſcimus, in quantum terminos cognoſcimus. quos ſane Simplicius & Philop. expreſſe de formis congenitis explicant. hæc quoq; eſt* ἀδιαιρέτων νόησις *3. de An. tex. 24. ſecundum Simpl. ſuper illum locum, ut nimirum* γραμματείῳ *eſſe ſimilis dicatur intellectus, reſpectu* νοημάτων συνθέσεως.

L X VI.

Reſtant duo loca, Vnus 2. Poſt. vlt. Alter 12. Met. tex. 4. ubi dubitat πότερον οὐκ ἐνοῦσαι αἱ ἕξεις ἐγγίνονται, ἢ ἐνοῦσαι λελήθασιν. *Præterquam vero quod ſecundum alios dicere poſſemus, agere ibi Philoſ. contra Platonicos illos, qui putabant præter ſtatum nihil aliud requiri ad educendas in actum ſecundum Ideas: ipſum tamen ſeipſum refellere 1. de An. in fine putamus, vbi animas per totum corpus ſparſas eſſe, docet, ſed*

munia

munia non per totum exercere, quod inſtrumentis deſtituantur: vt ualde mirum ſit, hiſce ferè ſolis locis plerosq; inniti, cum nihil aliud concludant, quam qui formas omnes extrinſecus aduenire contendentes, obijciunt: Si anima eſt in tritici grano, quomodo erit ocioſa? Nequaquam enim ocioſa eſt, ſiquidem illud tale dicitur, quod quando poteſt & debet agere, non agit.

LXVII.

Hæc igitur ad hunc modum diſputata cum primis congruent, ſi animas plures numero ſtatuerimus, vt Platonis eſt ſententia, & Chriſtiana nos docet Religio: ſin ex Ariſtotelis & Peripateticorum principijs, VNVM numero intellectum aſſerere placeat (id quod pluribus rationibus abſoluit Themiſt. 3. de An. cap. 32. & Auerrh. 3. de An. com. 5.) aut reminiſcentiam concedamus neceſſe eſt aut vnitatem, iam datam, negemus.

LXVIII.

Idq; hinc planum eſt: Intellectus vnus eſt in ſe ſempiternus, Ergo perpetuo felix, refertus omnibus habitibus: quod licet reſpectu huius vel illius hominis, continuetur vt poſsibilis, ac veluti tabula in qua nihil ſit actu ſcriptum, in ſe tamen ſemper intelligens eſt, & ſi reminiſcitur, illud eſt uel in hoc uel illo particulari homine. Atq; vt vno verbo rem concludamus ex Auerrh. Non mens ſed Socrates uel Plato diſcit.

LXIX.

Atq; hæc de anima intellect. conditione cum ante copula-

longiorem explicationem requirit, quam modo inſtituere viſum non fuit.

LXX.

In horum igitur explicatione, ſi præceptoribus videbor ſententiam ſummorum Philoſophorum aſſecutus, eſt cur gaudeam, ſin minus voluntatem ſaltem meam, probatum iri confido, in honeſtiſſima cupiditate conciliandi cum Magiſtro Platone diſcipulum Ariſtotelem, qui ab illo uel diſſenſit, uel potius diſſentire viſus eſt, adeo vt poſteriorum capitalia fere vt ſit odia & certamina, ſapientiæ & humanitatis profeſſoribus indigna, hinc ſint enata.

LXXI.

Sane de tota re ſi quis aliter forte ſentiat, & vt fere fieri ſolet, non tam rationibus, quam huius aut illius autoritate nitatur, ei ego ſuum ſcilicet iudicium relinquo, veluti quodam pacto conuento, vt & meum mihi relinquatur, quod vt imbecille eſſe ſentio, ita certis rationum momentis hac in parte confirmare ſtudui. Valeat autem hic quoq; vetus illud verbum ſecundum extremum verſum elegantiſſ. Epigrammatis veteris poetæ Eueni apud Stobæum λόγῳ π. quem nobis olim ita D. Camerarium interpretari memini:

Hac mihi cum placeant, tu licet illa probes.

FINIS.

PROBLEMATA.

I.

DE Septenarij numeri vi & veluti prærogatiua, multi multa, vt Orpheus: ἑβδόμην φίλησεν ἑκάεργος ἀπόλλων. Heſiodus: ἑβδόμην, ἱερὸν ἦμαρ dicit. Hipocrates in fine lib. de carnib. ὁ δ᾽ ἐ αἰὼν ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου, ἑπταήμερος Septenarij enim numeri ratione hominum ætates regi diſpenſariq;, corpora etiam humana vel à prima in vtero conformatione ſeptimo quoq; die, menſe, anno immutationis aliquid accipere prolixè ſenëx oſtendit. Et tradita ſunt ea de re à Varnone etiam nonnulla, vt eſt apud Gellium lib. 3. cap. 10. Illud vero bellum, quod Philo ait lib. de mundi Opificio τὴν φύσιν φιλέβδομον εἶναι, quodq; de Etymologia numeri Septenarij affert, cum quo congruunt ea quæ à Macrobio afferuntur lib. 1. Som. Scip.

Verum anguſtioribus limitibus adhuc Septenarij numeri præſtantiam circumſcripſimus, cum ad alia etiam vt ad ciuitatum Rerumpubl. atq; adeo ipſius mundi gubernationem extendatur: Inde enim eſt quod hunc tam maioris quam minoris mundi numerum aliqui appellarunt, quemadmodum annotauit Ruffus cap. 8. lib. 1. Arithm. Boëtij: At quam cauſſam eſſe dicemus iſtarum virium, An cum Pythagora ipſis ſimpliciter numeris præſertim ſeptenario propter ſeſquitertiam hoc tribuemus: An vero ſecundum Aſtrologos Planetis iſta accepta referemus, penes horum enim vnumquenq; ordine dum iu vtero fœtus eſt menſem, poſteaquam autem in lucem editus eſt infans annum vnum curatio vitæ humanæ eſſe perhibetur, Et in vtero quidem primas tribuunt Saturno, ſecundas Ioui, in vita autem primas Lunæ, ſecundas Mercurio atq; ita deinceps. Cum autem Saturni ſtella homini mala eſſe exiſtimetur, eaq́; ſeptimo quoq; anno præſit vitæ, vnde poſtea præcipitij lapſu veluti per κλίμακα, id eſt ſcalas ad Lunam iterum regnandi vices redeunt, conſentaneum eſſe putant ſeptimo quoq; anno vtpote Climacterico inſignem mutationem fieri in reb. cum hominum ſingulorum, tum etiam, haud impari ratione, communitatum ſeu Rerumpublicarum: An deniq; vt ſit in ignoratione cauſſarum, ad Deum iſta reij-

ciemus.

mam mercedem & eximios honores decreuerunt. Ad honores quod attinet magna cura ſanxerunt, vt diſcipuli illorum ſpectabiles ſcribantur vſq; dũ profeſſi fuerint, dein clariſſimi ſcribantur. Sic .n. forte legendum apud Frontinum. Ea priuilegia agricolis, ad quos fere iſtam Geodæſiam deuolutam videmus à ſcholis relinqui turpe, & rebus communib. detrimento fuerit. Superiori .n. anno in dimenſione agelli, quem meus pater emerat animaduertimus Ruſticum cuius quidẽ dexteritatem hac in parte magnifieri ſcimus, & nos admirati ſumus, eum igitur animaduertimus triangulum rectangulum, quo tota fere ratio medendi agros continetur ita metiri, vt metimur æquicrurum .i. ἰσοσκελὲς nimirum per 36. primi Triangulorum Regiomontani adminiculo penultimæ .i. element. Euclid. idq; ab alijs quoq; obſeruari conſtat: Ita quidem vt triangulum rectangulum ſecetur ex alterutro angulo acuto ad latus oppoſitum δίχα, & dimidium ſecti lateris recti ducatur in alterum latus rectum: dimidium collectæ ſummæ credatur eſſe ſemiſsis areæ, totum vniuerſa totius trianguli area, quæ eſt ratio, vt oſtendimus, qua triangulum æquicrurum ex angulo æquicruro δίχα ad angulos rectos ſectum eoq; ad quadranguli formam redactum, metimur. Id igitur rectè ne fiat an ſecus, quæritur. Liceat fortaſsis in ſimili negocio cum Cardano lepido voto optare tantum agri, quantum Geodæſia iſta deperit. Verum ſi quis certi quippiam in alterutram partem aſſerere cupiat, γραμμικῇ ἀποδείξει ſe expediat neceſſe eſt. Populariter tamen res quoq; aliquo modo videtur explicari poſſe, ex hac hypotheſi quod τὰ ἰσοπερίμετρα non ſint ἰσοχώρια, id eſt, quod quarum figurarum extremæ lineæ eandem menſuram colligunt, earum nequaquam par etiam ſit ſpacium, quod iſtis lineis continetur, idq; oratione copioſa & elegante oſtendit ſapientiſſimus hiſtoricus Polybius diſputans Geometriam Imperatori in bello neceſſariam lib. 9. A Polybio mutuatus ornamentum hoc Geodæticum Quintilianus, tranſtulit in lib. Inſt. 10. cap. 1. Sed demonſtrauit Proclus ad 3. & 37. primi Euclidis. Suſpicantur aliqui Platonem, vt ſtudia Geometrica ſua ætate excitaret ſubieciſſe Pythiæ illud de cubo duplicando, vt tanquam oraculum magnifieret, & Mathematicæ diſciplinæ propterea requirerentur: neq; feſellit eam ſpes, vt videre licet ex Philop. ad cap. 7. prim. poſt. At iſta quæſtio noſtra ob eximiam vtilitatem, qua omnes fere nunc ducimur, ad Matheſeos exercitia impellere non plane futiles aut incogitantes cum primis poſſe videtur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FINIS.